



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 7. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

cum Abia de quo 1. Reg. 4. 1. 4. Iansen, c. 37. nomina illa pro eisdem accipi ait. ex 2. Reg. 8. 1. 18. Abul. 1. 2. q. 24. Abiatharam ait functum sacerdotio ob patris occupationes, quod verisimile non videtur, cum summa esset functio sacerdotis summi, & omnes alie occupationes alijs delegari potius, quam ista de buerit. Alij autem esse transpositionem figuratam, vt Abimelech filius sit Abiatar, non Abimelech Abiataris, à Marco autem illum nominari, quia tamen aderat, & paulo post summus sacerdos fuit. Verum Christus aperte factum ait sub Abiathar principe sacerdotum. At 1. Reg. 21. & 22. Abimelech est summus sacerdos. Alia ergo ratio non est, quã vt binominem dicamus.

§. 2. De mensa panum propositionis Exod. 25. 23. Eiusdem magnitudinis in tabernaculo & templo fuit. Vide & Abulen. Leuit. 24. & Azor. nostrum Instit. Moral. p. 1. l. 5. c. 47. Hebraei in arcã aperta formam factos panes arbitrantur, eos Arias Montanus sequitur, Iosephus l. 3. Antiquitatum causam declarat. Verum ista incerta nihil necesse est persequi.

Cum vero singuli panes continerent duos Gomeres. Gomer autem plus satis sit ad cibum diurnum, vt constat Exod. 16. 15. certum est Dauidem cū quinque panes peteret, pro decem socijs cibum in diem petiisse. Potius tamen credidero plures adfuisse, & in vnam solum refectioem petitis panes.

VERSUS 6.

Aut non legistis in lege, quia sabbathum violant, & sine crimine sunt?

QUESTIO I.

An non violent sacerdotes festum in templo?

Templi cultus Sabbatho fit.

§. 1. Alio argumento improbam calumniam reijcit. Sacerdotes ea faciunt, quã per se, nisi cultus Dei excuset Sabbathum violant, nisi ad cultum Dei fierent; nam pecudes maculant, deglubunt, intestina lauant, ligna conferunt, si igitur illi sine crimine sunt, quanto magis Apostoli, qui necessitate adducti vitam ita sustentant? Ostendit exceptionem aliquam in lege Sabbathi fuisse. Traditio Iudaica est. In templo non est Sabbathum, nam sacrificiorum & victimarum labores cum sint cultus Dei immediati, non sunt opus seruile. Si ergo templum excusat à violatione Sabbathi criminosa, quanto magis filius Dei? quia is maior est templo, at discipuli mihi seruiant, si templi cultus excusat sacerdotes, cur non & templi Dominus discipulos. Si id in gratiam templi, ergo & in gratiam Christi vt illi ad sine illi seruiant. Non quod proprie Sabbathum violent, cum lege sacrificia offerant, manuarum vero operã, non sint vetitã, cum in templo diuinis cultibus impendantur.

Sabbathi prudens custodia.

§. 2. Hic dicitur, quidam salutem populi interpretantur, ob superstitionem de obseruatione Sabbathi sunt reprehensi, vt ostendit, argumentum de templo; Colligit enim non omnia opera prohibita, sed quãdã certigenis apud Hebræos periculũ animarum, & delictum mortis tollit Sabbathũ. Thalm. de Sabbatho. Hic dicitur hoc loco, non intelligitur aliud quam ipse Christus. vt v. 41. Ecce plus quã Ionas hic & 42. plus quã Salomon hic. Itaque non dubium est die Sabbathi & medicinas apparatus, & curam omnem agrorum administratam defensionem etiam contra hostes licitã. Nec ex lege, sed propria superstitione Iudæos egisse illos, qui imminente tempestate die Sabbathi, quies-

cebãt, si enim sacerdotes & discipuli, & sine culpa sunt, cur non & discipuli, non enim l. x sine exceptione Sabbathi cultum exegit; si enim sine vlla exceptione opus prohibetur, non poterunt maculationes, & venerationes pecudum, stipes lignorum, allationesque sacrificiorum excusari. Si illa Sabbathũ non violant, sed honorant, aliqua igitur in lege exceptio datur etiã à vobis. Eam vero maxime necessitas extorquet. Non est quidẽ Sabbathum violandum, sed non superstitione ne Iudaica obseruandum, nõ vt nullum opus fiat, sed nullum seruile, sed liberale, filiale, ad Dei cultum pertinens. Ne Seneca vt est apud S. Aug. Septimi dicitur oculum exprobrat, septima scilicet vire parte nihil nõ agere. Minime enim ociatur, qui Numini religiosum cultum impendet.

VERSUS 7. 8.

Si autem sciretis, quid est, Misericordiam volo & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes: Dominus enim est filius hominis etiam Sabbathi.

QUESTIO I.

An abrogauit Sabbathum?

§. 1. Particula causalis rationem reddit cur dixerit, innocentes, quia vtrumque lex habet: certe legislator Deus dispensare potuit me talem facta mea docuerunt. Innuat aliquando leges illas ceremoniales esse abrogandas. Quod vero addit: misericordiam volo, vel Dei, vel hominum misericordiam, intelligit. Dei quidem: Non enim hominem ob Sabbathi scrupulosam custodiã fame torqueri eius benignitas cupit. Hominum vero: quia misereri clementium oportuit, & necessitas, nõ contemptus Sabbathi fuit, quod spicas vellerent. Iudicare etiam eodem modo de misericordia Dei homines fas est, vt iudicauit Dauid. De hominum erga homines benignitate malim hic accipere, quia accommodatius est: Nam misericordia inquit est Deo grator quam sacrificium, multo igitur magis, quam custodia Sabbathi. Non tamen Sabbathum abrogauit, sed vsum eius docuit.

Vere itaque hic Caluinus. Falluntur meo iudicio, qui Sabbathum hic penitus abrogatum esse putant: quum simpliciter doceat Christus quã suam sit rectum illius vsum. Nam et Iosepho ante asseruit Sabbathi se quog, esse Dominum: nondum tamen aduenerat maturum abrogationis tempus, quia velum templi nondum fuissem erat. Quã ratione contra eius discipulos vtetur, cum legem veterem à Ioanne Baptista abrogatã vt nouam inductã imperite clamãt, vt pro Christi baptismo Ioannis baptismum substituant. Dominus, se esse qui Sabbathũ instituit, se quoque tollere posse, ita sua facultate Apostolos hoc agere. Marc. 2. 27. Sabbathum est propter hominẽ, ita salus hominum non debet impendi Sabbatho. Porro posteriores Iudæi adeo superstitioni fuere Sabbatho, vt ne in extrema quidem necessitate remigare, aut aliud quidpiam auerterent periculo egere vellent.

§. 2. Dominum esse Sabbathi proprium est Dei legislatoris: Hic enim locus requirit, vt dicatur Dominus Sabbathi, vel custodiendi, vel violandi. Ex quo etiã Christi diuinitas apparet. Nemo est Sabbathi Dominus, nisi solus Deus, qui Sabbathum fecit. Lex enim olim lata à Deo, totiesque inculcata non nisi pari potestate, vel maiore abrogari potuit. Dominum enim in Dei legem nulli est, nisi soli Deo concessum. Nec solum Christo abrogandi leges ministeriũ concessum est, sed dominium sibi tribuit. Tertull. lib. de carne Christi

Christi omittit particulam, *etiam*, sed vim illa habet. Disputant in 2.2. q. 31. Theologi, an opera misericordie sint præstantiora operibus religionis. Dicendū est ex suo genere, & natura, ex obiecto esse præstantiora, ex accidente crebro misericordie opera præferri. Quia maior est necessitas proximi. Vide D. Thom. 1. 2. art. 6.

VERSUS 19.

Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

QUESTIO I.

Quando venit?

Non continuo, eodem sabbato, sed vt ait: Luc. 6.6. Factum est alio sabbato. Cum enim hac Christi defensione Pharisei irritati potius, quam sedati essent, viq; eum vt sabbati violatorem infamabant. Itaq; Christus publice in synagogam ad depellendam calumniam ingressus est. Lucas enim ingressū ait, vt doceret. Docuit autem de obseruatione sabbati. Et quantum quidem ex tribus Euangelistis colligitur nihil aliud, vt appareat quā sedulo calumniæ occurrerit. Ratio erat vigentissima. Aduersarij homines pios, & legis amulatores contra eum incitabant, quod dicerent eum sabbati contemptorē; quin illud quod dixerat se dominum esse sabbati, & sabbatum factū propter hominem; quin & Davidis exemplum varie disputabant. Imo iam ad synagogam Pharisei venerant, vt eum obseruarent Luc. 6.7. *Obseruabant autem scribæ & pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum.* Occasione ergo vsus aridam manum sanauit, & verum sabbati cultum edocuit. Postea vero discessit ex synagoga, vt est apud Euangelistas. Itaque apparet ad vnicam hanc calumniam ex hominū animis euellendam ingredi synagogam voluisse.

VERSUS 10.

Etece homo manum habēs aridam, & interrogabant eum dicentes, si licet sabbathis curare? vt accusarent eum.

QUESTIO I.

An concorditer historiam narrent Euangelistæ?

Non est vlla repugnantia Marc. 3.4. Lucæ 6.9. cum Matthæo. Nam in synagoga erat homo ille, & ita constitutus, vt Iesu vicinū esset, etiam forte rogaturum putabant. Obseruabant scribæ autem & Pharisei, si in sabbato curaret, vt inuenirent, vnde accusarent eum, ipse vero sciebat cogitationes eorum, & ait &c. Itaque ipsi eum ante rogarunt: An liceret sanare, sed mala intentione vt accusarent, eo cognito, hominem surgere iubet, vt omnes miseria eius ad benignitatem commoueret, deinde generaliter rem proponit, vt eos pūderet, an liceret benefacere an male: nec de diuersitate laboris instantia dati poterat, illi enim hominem intrare synagogam siuerunt, consilabantur quomodo eum accusarent, optabant eum delinquentem, ne occasio accusandi deesset. Hæc mala cum facerent die sabbati, cur non mihi liceat velle eius salutem, dicere: *extende manum*, nā aliud non fecit; addidit quæ sunt v. 11. Quidam putant eos rogasse, vt Christū à miraculo faciendo auerterent, ne per illud docentis auctoritas cresceret. Commentarium fuisse, est in Euangelio Hebræorum, vt Hier. Comm. refert, vbi etiā plura de eo addantur. Oblatum à Phariseis putat Hi-

larius, Chryl. hom. 47. in medio constitutū, vt Pharisei ad misericordiam commouerentur. Rabanus manū interpretatur aridam synagogam. Sed vt soler spiritualiter.

VERSUS II.

Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnā? & si ceciderit hæc sabbathis in foueam, nonne tenebit & leuabit eā?

QUESTIO I.

Quod Christi argumentum?

Tale omnino quod vel ipsi impudentiæ ruborem incuteret. Si vos adeo sancti, adeoque sabbatorum accurati custodes, sabbato ouem & fouea educitis, vestrisq; seruitijs id præcipitis, verbis & opere laborioso, si enim huc modò locutum venitis, sed etiam tam animo peruerso, vt male agere me optetis: cur ego sabbati violator, si pauca verba pronuncio, si dicam *Extende manum tuam*? Cur obsecro mea vox breuis & efficax est sabbati violatrix, vestri discursus, & obrectationes sabbatū sanctificant? Cur oīculæ operosa liberatio sabbato cōuenit, hominis vno verbo parta salus repugnat? cum vobis male facere sabbato liceat, mihi non sit fas benefacere? Si opera expenditur, minor est mea, in paucis verbis tota. Loqui autem die sabbati, nulla lex vetat. In oue extrahenda verba, discursus, labor impenditur. Si effectus ipse, plurius est salus hominis, quam ouis. Homo animal sacrum est, non modo sabbato curandus, sed multæ etiam pro illo perdendæ essent oues. Quid? an medicis irascimini, qui magna operosaq; cura imo etiam pharmacorum tormento, insuper secando & vrendo hominem curant die sabbati? Tam magna, tam multa, tam ingeniosa, imo saeuientia, & miseranda opera sabbati sanctitatem non contaminant, & mea verba efficacissimè medica, vt impia traducuntur? Indignes plane; Ideo Marcus ait c. 3.5. & *circumspectus cum ira, contristatus super cecitate cordis eorum.* Nec tamen emendati sunt: Luc. 6.11. *Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem quidnam facerent Iesu.* & Marcus: *exeuntes autem Pharisei statim cum Herodianis consiliū faciebant aduersus eum quomodo eum perderent.*

Nam in conspectu populi conuicti & pūdefacti, ad conuictū interrogata nihil respondentes, quasi iniuriam passi magis saferio ad ultionem confurgunt. Solent hoc homines uiuere, inflati, qui scelorum suorum admoniti, quasi contumelia affecti exardescunt, & æternas simultates suscipiunt. Ita & hi v. 14. *exeuntes autem Pharisei, consiliū faciebant aduersus eum.* Nam obdurati, conuicti peiores euadunt, pro *συμβουλιον ἐλαβον*, alia exemplaria habent, *ἐπὶ τὴν*, quale fuit id quo noster vsus est.

[In vniuerso, inquit Melancthon, euangelio nihil aliud nobis proponitur, quam benignitas, mansuetudo, bonitas Christi, quem nos exactorem & carnificem fecimus, qui omnia nobis gratis dedit, non meritis operibus largitur se, & qui sit, vt puremus operibus nostris iuuari? At patroni liberi arbitrij, quid aliud hodie docent, quā vt quod in nobis est faciamus?] *Christi benignitas opera bona exigit.*

Respondeo, in Euangelio Christi benignitatem proponi, qui immerentes iustificat, nec liberum arbitrium id mereri Christum tamen, non truncos hortari, sed eos qui gratiæ cooperantur.

VER.